Ad Quodlibetariam Quaestio medica matutinis agitanda
Disputationibus In Scholis Medic. die Jovis 24 Januar. M. Francisco Le Sage D. M. Moderatore Prudentiss.

An solius ἐμψύχου nutritio?

Generatio In Deo est, non nutritio: In Angelis neutra: In hominibus utraque; altera ad propagationem speciei; altera ad conservationem Individui. Individui Igitur conservationis nutritionis (quae vacuati est repletio) finis sit: Eadem per totam continuatur vitam, neque illis In ulla parte corporis agit seriatis. Fit autem non sine alimenti appositione, agglutinatione, et assimilatione: alioqui ἀτροφία sequitur, vel καχεξία. In illa similari potius quam organica actione consideramus τὸ τρέφον, τὸ τρεφόμενον, καὶ ᾧ τρέφεται.

Τὸ τρέφον est cum Ipsa anima, φύσις ἀφανὴς, Immediatum facultatis principium, tum facultas quae Implantata hepati nihilo secius singulis Insidet partibus: tum reliquae facultatis ministrae attractrix, retentrix, Concoctrix, Expultrix. Apage qui secretricem, aut alias Ingenuas quasi quid a caeteris diversum, adiiciunt, cum neque sint plures quam quatuor, neque pauciores. Neque Istam officinam à nubifica, vivifica et c. distinguimus; neque eam partem animae, quae θρεπτική dicitur, ab anima, cuius pars est, aut alteram facultatem ab auctrice, et procreatrice; quae et ab radice manant anima, et eiusdem operis sunt consortes ac quasi σύνδουλοι.

Τὸ τρεφόμενον — Corpus est, sed animatum. Quare gignitur an In utero organum nutriri. Certe quidem nutritur foetus; sed sugendo per venam umbilicalem alimentum, absque opera ventriculi et χυλώσεως, quae non est absolute et simpliciter necessaria, cum et Insecta per sedem nutriant. Neque vero omnes primaeque corporis partes aluntur, cuiusmodi sunt ungues, pili, multo minus spiritus, qui triplices sunt, essentia et sedibus distincti, naturalis In hepate, vitalis In corde, animalis In cerebro; Illi quidem non animati; prima tamen animae In obeundis functionibus Instrumenta.

Ὧι τρέφεται τὸ σπονδύλιον calor est ~~[struck]~~ nativus; τὸ ἀντικείμενον alimentum. Calor duplex Insitus et Influens, hic quidem à corde manans; Ille vero partibus singulis Insitus, non diversus à spiritu et humore primigenio, caelestis non Elementaris: Largior est In pueris quam Iuvenibus, In Iuvenibus quam reliquis deinceps aetatibus. Quare qui crescunt liberaliore Indigent victu. Eandem causam κυνώδους ὀρέξεως non assignamus; sed potius Intemperiem frigidiorem, aut humoris aciditatem, quos ventriculi os exorbuit.

Alimentum qui ~~Dicitur~~ Dicunt simile, et qui dissimile, vere dicunt, et non vere. Simile est χυμὸς nimirum sanguis, qui non solus continetur venis, sed permistus, non distat à quatuor secundariis humoribus, Inanimatus licet omnium corporis viventis partium commune est alimentum. minus simile χυλὸς qui elaboratur In ventriculo, ventriculum tamen non nutrit, et neque fit suam venulam, neque vesiculam, sicut venas. Dissimile est quod ore sumitur. Manucodiatam, aut ~~ea~~ Chamaeleontem ἀέρι nutriri, quosdam populos odoribus, Struthiocamelum ferro, Ulla animalia elementis, nec Pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur. In summa nihil ἄψυχον aut nutrit aut nutritur, et frustra sunt qui solem, qui Lunam, qui reliqua sydera ali putant, qui Ignem, qui Lapides aut fossilia.

Ergo solius ἐμψύχου nutritio.

Afferebat Lutetiae Joannes Tournier Barralbanus, Anno R. S. CIↃ DC XIII

~~D.~~ Doctores disputaturi

M. Gentiens Blacvod. M. Renatus Chartier. M. Joannes Beauchesne.
M. Gabriel Biard. M. Franciscus Placet. M. Joannes Haultin.
M. Joannes Delacroix